



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **YEIENSIS** IN SUDANIA NOVA DIOECESIS
CONDITUR NOMINE YEIENSIS In Dominico agro cui excolendo, divino consilio, praesumus, nihil
tam tantumque requirit laborem ac assiduam curam, quam, iacto bono semine, viridantibus
consulere satis. Idcirco quo opimior fieret seges in Sudaniae Reipublicae evangelizatione, visum
est Nobis novam dioecesim esse ibidem erigendam : multiplicatis enim sacris pastoribus fieri non
potest quin laboris quoque fructus multiplicentur. De consilio igitur Venerabilium Fratrum
Nostrorum Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide praepositorum,
quorum interest audito favorabili voto, ex apostolica Nostra potestate quae sequuntur statuimus ac
decernimus. Districti civiles vernaculo nomine vocati « Yei » et « Mundri » dioecesis Rumbekensis
in meridiem vergentes atque in « Eastern Equatoria Province » siti, a memorata sede disiuncti,
novam dioecesim, *Yeiensem* vocatam conficient, quae Archidioecesis Iubaënsis suffraganea erit,
ad iuris normam. Novae porro Ecclesiae sedem Episcopus in urbe « Yei » collocabit ibique
cathedram suam ponet in templo videlicet Christo Regi dicato, cui cathedralis dignitatem
concedimus. Mandamus insuper ut pro canonicis consultores dioecesani deligantur atque
adhibeantur iuxta iuris leges. Ad sacrorum candidatorum institutionem quod pertinet serventur
mandata iuris communis, prae oculis habitis normis Decreti Concilii Vaticani II « *Optatam totius* »
atque legibus a Congregatione pro Institutione catholica statutis. Ad ea tandem perficienda quae
per has Nostras Litteras decrevimus, Venerabilem Fratrem Aloisium Robles Díaz, Archiepiscopum
titulo Stephaniacensem atque in Sudania Re publica Apostolicum Pro-Nuntium legamus, vel quem
ipse elegerit, modo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Re autem ad finem ducta, acta
conficiantur, quorum sincerum exemplar ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione
mittantur. Contrariis nihil obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et vicesimo mensis
Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri octavo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

a publicis Ecclesiae negotiis

IOSEPHUS Card. TOMKO

Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXVIII (1986), n. 9, pp. 904-905

© Copyright 1986- Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana